

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**THEODORO ALTHETO**

**HENRICO**  
SACRI ROMANI IMPERII COMITI

DE  
**STRATTMAN,**

Domino in Peyrbach, Pruck ad Ascham, Orth, & Spattenbrun. Sacrae Cæsareæ Majestatis Consilia-  
rio Intimo & Supremo Aulae Auftriacæ Cancellario &c. &c.

ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE DOMINE COMES, MÆCENAS,  
GRATIOSISSIME.

**C**ontractum pignoris defensurus, ut me ipsum tibi Illustrissime & Excellentissime Domine Domine Mæcenas prius in huius-  
dem, id sepius profuse in me gratiæ exposcui, iterata benevolentia, dum non tantum et ipso anno mihi Majestatem  
defendenti tuâ sublimi Auctoritate gratiosissime assisteres, sed etiamnum contractum privatis Communem Excellentissimo  
Tuo nomine firmare non dedigneris; Nosti enim optime, ut qui Consilarii virtutes repræsentas penè omnes, benevolen-  
tiam non esse inter illas minimam, nam si Tacito (a) credimus illi optimi sunt, qui specie obsequij regunt, ad omnia-  
que, quæ agenda sunt, quietâ Industriâ adfunt. Neque mirare Comes Excellentissime me tibi omnes veri Consilarii  
attribuisse virtutes, quid enim aliud tua sublimis denotat sapientia, quâ magna reipublicæ sepius moderaris negotia?  
quid aliud dicit illa tua nunquam satis laudata modestia & Suavitas; quâ Superiores in benevolentiam & amorem, pares in admirationem,  
inferiores verò trabis in obsequium? quid denique aliud designat magna tua in publicis experientia, quâ quasvis casuum emergentium spe-  
cies scis definire, quam nempe exquisitissimum Consiliarium, hinc illud quod de se effatus Mitbridates (b) etiam de te dicere potes: mihi for-  
tuna multis rebus ereptis usum dedit benè Suadendi. Vereris Comes Excellentissime frequenter prolata tua audire laudum encomia; igitur  
tacitè ferventissimis ingemisco votis, ut magnus ille Consiliorum Præses Deus te ad Amalthææ invidiam meritissimis exornet fortunæ donis,  
& virtutum tuarum decora in seros & Nestorios annos conservet: Nunc verò demississimo poplite defendendas repetitionis Theses in debitum  
obsequii signum tibi offero, neque indignare earum levitati, nam Cicerone teste (c) Gratia referri non potest quanta debetur, sed habenda  
est, quantam maximam animi nostri capere possunt.

Illustrissimæ Excellentiaæ Tuæ.

*Cliens infimus.*

(a) Hist. 3.

(b) Salust. in fragment.

(c) Phil. 3.

Antonius Josephus Öttl  
U. J. D.

**A**UTHORITATE ET CONSENSU PRÆ-  
NUNTIUM CELEBRIORUM, MAGNIFICORUM  
ET CLARISSIMORUM VIRORUM, &c. MAGNIFICI DO-  
MINI RECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI, INCLYTÆ FACULTA-  
TIS JURIDICÆ DOMINORUM SENIORUM, SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIARIORUM, &c. ADEOQUE TOTIUS

AMPLISSIMI JURIS-CONSULTORUM COLLEGII IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VIENNENSI THESES SUBSEQUEN-  
TES EX ASSIGNATA SIBI L. si generaliter, 6. Cod. qui pot. in pign. hab. CUM ANNEXA QUÆSTIONE CANONICA PRO  
CONSEQUENDIS INCLYTÆ FACULTATIS PRIVILEGIIS PUBLICÆ DEFENDENDAS SUSCEPIT.

ANTONIUS JOSEPHUS ÖTTL Auftriacus Walseensis V. J. D.

THESIS PRIMA.

**P**rior Creditor habens generalem hypothecam à posteriori etiam specialem habente inquietandus non  
est.

II.

**Q**uia jus pignoris priori generaliter quæsitum factò debitoris postea specialiter quædam obligantis dete-  
rius fieri non debet.

III.

**Q**uod procedit non tantum in sorte, Usuris, areragiis, sed etiam bonis postea acquisitis.

IV.

**I**tem in Fisco & pignore judiciali posteriori.

V.

**F**allit; si quis specialiter privilegiatum se doceat.

VI.

**A**ut si Conventus & postea convictus pignus à se possessum debitoris esse negaverit.

QUÆSTIO CANONICA DESUMPTA

*Exc cap. possessor. de R. J. in 6.*

**A**n juri offerendi & luendi pignoris præscribi possit. R. affir.

Disputabuntur in Auditorio DD. Juris-Consultorum horis pomeridianis consuetis Die 20. Mense Martio 1691.